

V<sup>c</sup>  
226

h. 1,



Vc  
226

h. 1, 49

Fk. I, 49

VERNUS ÆTERNUSQVE RUTÆ  
NOSTRÆ VIGOR,

Quod est,  
Felicitas

SERENISSIMÆ  
DOMUS SAXONICÆ

summa,

Quam  
Gratissimo humillimoque animo ac calamo  
descriptam,

Eâ, quæ Clientem decet subjectissimum,

OBSERVANTIA

In Panegyri Iolenni  
Academiæ Lipsiensis

Publicè deprædicavit

MAGNUS Liebmann

à Schuroth/

Eqves Misnicus,

D. XIIII. Decemb. A. M. DC. LXXIIII.

LIPSIÆ, LITERIS MICHAELIS VOGTII.



VERUM ESTERNISQUE RITE  
NOSTRA VIGOR

1719

SENERE MISSIMA  
BOMBS SAXONICA

1719

Commissarius

1719

Edictum

1719

In

1719

1719

MAGNUS

1719

Edictum

D. XIX. Decemb. A. MDC. LXXIX

1719





**R**ector Academiae Magnifice,  
Proceres ejusdem venerandi, Vosque  
Cives mei Lectissimi, Juvenes Nobilissi-  
mi Politissimique. Ea semper excellen-  
tium Oratorum curapotissima fuit, ut,  
quando in publicum prodire, atque verba  
in illustri aliqua Panegyri facere praesumebant, dignam audi-  
entium desiderio, dignam ingenio suo, dignam denique glo-  
ria seligerent materiam, ne in declamata multoties atque ob-  
soleta re cum auscultantium patientia ingenii sui vires absu-  
merent, famam Eloquentiae suae inutiliter prodigerent. Nun-  
quam in frequenti Atheniensium concione comparuit ful-  
men illud eloquentiae Demosthenes, nisi accepta omnibus  
causa dicendi copiam subministraret, ubi strenue toties adver-  
sus superba Persarum molimina, defensa Graecarum Civita-  
tum libertas, nunc a callido Macedonum Rege Philippo & ar-  
mis & dolo erepta esset deploranda, cives ad resumendos pri-  
stinos animos, ad resumendam pristinam libertatem exstimu-  
landi, consilioque in eam rem salutari instruendi. Nunquam  
difertissimus Tullius in forum descendit, nunquam rostra a-  
scendit, nisi innocens civis a supplicio, provincia Romanis fi-  
dissima ab iniqui Praesidis avaritia, universa Res publica a con-  
jurationis metu atque ab interitu esset liberanda. Ego quidem,  
Auditores honoratissimi, non eò temeritatis devenio, ut vel  
minima ex parte tantis me oratoribus annumerem; absit, ab-  
sit procul a me ista Jactantia! Interim tamen, cum vos, Audi-  
tores Optimi, convenisse huc videam, de quo summè mihi  
gratulor, cogitandum omninò mihi est de tali materia, qua-  
lem vobis praecipue convenire existimem. Succurrit aliqua,  
non quidem nova nec aliunde petita, sed a quam plurimis jam  
tum

tum perorata ac ab ipsa nostra Charissimâ Patria gratulabunda nobis subministrata : Admiranda scilicet Serenissimæ Domus Saxonicæ Felicitas. Nec fallor, si & pro novâ eandem venditem, cum nova quotidiè felicitatis incrementa Principes nostri Clementissimi experiantur, subditi lætabundi adspiciant. Quid igitur explicari à me posset Supremo Numini acceptius, quàm si felicia Diis terrenis à se tributa grato animo à Subditis quoque accipi videat? Quid Principibus nostris dignius, quàm si fausta quæque divinitus concessa faustâ acclamatione à subditis excipi conspiciant? Quid Vobis, Auditores, lætius, quàm intueri mecum, quantum opere indices Serenissima Domus nostra Saxonica crescat atque augeatur? Quid denique pietati meæ convenientius? Atque hæc est causa prægnantissima, quæ me de felicitate ista dicturum neutiquam de Vestra, Auditores Spectatissimi, in audiendo benevolentia finit dubitare. Mearum contra erit partium, providere, ut cum facundia placere haud possim, brevitate tamen tædium omne evitem.

Magna me, Auditores Colendissimi, cura, magna difficultas circumstare videtur, dum quid vobis promiserim, quid negotii in me susceperim, cogito: Serenissimæ scilicet Domus Saxonicæ felicitatem deprædicandam, quæ clarissima etiam ingenia, laudatores eloquentissimos non una vice jam tum fatigavit. Indulsi, fateor, nimium affectui, quem Serenissimæ huic Domui subditus debeo, viresque ingenii mei ex eo ausus sum metiri. Porro, cum audendum tamen aliquid esse videam, ne datam vobis, Auditores, exoptatissimi, fidem fallere videar, nova mihi rursus suboritur sollicitudo, quænam ex abundantissima illa Ducum Saxonorum fortunâ primo, quæ secundo loco animis vestris subjiciam contemplanda? Deliberanti enim mecum, nunc celsissima cunarum sublimitas, nunc illustrissimæ dignitates, amplissimæ potentia incrementa, continuata auctaque per successores felicissime; Et, quod in terris nostris est beatissimum, repurgata per Lutherum doctrina non in ditiones solum Serenissimæ Domus hujus, sed in aulas quoque, imo in Principalia pectora recepta, nec recepta solum; sed stabili-

bilita quoque, nec stabilita tantum, sed & defensa constantissime; nunc profundum illud otium, amoenissima illa tranquillitas, cuius suavissimo sensu terrae nostrae sub Serenissimae Rurtae Saxonicae umbra semper hactenus perfusa fuerunt, atque in hodiernum usque diem perfunduntur, mihi obversantur. Quem igitur ducem, cuius ope e Labyrintho isthoc feliciter evadere possim, eligendum censebitis? Sequar almam rerum matrem Naturam, quae me Augustissimis potentissimae Domus Saxonicae cunis primum admoveat, ac summa admiratione attonitum quasi ibidem relinquit. In iis enim quantos Heroes aeternitati jamdiu consecratos invenio? Ottones, Henricum, Ludolphum, Brunonem, imo ipsum Wittekindum, conditores Illustrissimae hujus familiae. Quam feraces vero virtutum omnium surculos ex tam alta, ex tam foecunda stirpe propullulaverint, omnibus puto esse in propatulo. Est enim omnino summa vis, summa efficacia in Majorum sanguine, quem posteris ipsa Natura videtur instillare. Est ad magna facinora efficacissimus stimulus, ex magnis prognatum esse parentibus. Latet sub ipso Parentum cinere ignis quidam, quae posterorum pectora ad egregias virtutes excitat, incendit. Quid? Vel solae imagines Majorum in atrio expositae ad altissima quaeque cupienda liberorum animos possunt exhortari. Contristabatur Alexander, cui a gestarum rerum amplitudine Magni nomen fuit inditum, cum victorias Patris audiret, quibus laetari potius debuisset. At cum a Philippo generosos duceret spiritus, non poterat non metuere, ne omnis sibi gloriae materies eriperetur. Pudore atque lacrymis suffundebatur largissimis Caesar, cum Hispaniam ingressus vel solam laudati modo Alexandri statuam ad Herculis templum positam intueretur, atque recordaretur, eosdem se quidem annos, nondum vero iisdem laudibus terrarum Orbem esse emensum. Scio equidem, nulli praclusam esse virtutem, omnibus patere, omnes admittere, omnes invitare, non eligere domum, nec censum, nudo homine contentam esse. Verum si

Gratior est pulchro veniens e corpore virtus;  
Quidni potius dicamus illustriorem esse virtutem, quae in anima,

B

ab

ab illustri ortâ sanguine, habitat? Quâ fortunata igitur es, ô Sere-  
 nissima Domus, quæ tam illustres ad egregia quæque incen-  
 tores in Majoribus tuis es consecuta! Cum enim Wittekin-  
 dum, invicti fuisse animi, etiam cum vinceretur, imò victo-  
 rem atque triumphatorem Diaboli; qui spissis gentilium er-  
 rorum tenebris Ei antea illuserat; Cum Ottonem magno a-  
 nimo atque inusitato exemplo oblatam imperialem dignita-  
 tem deprecari; Heinricum amore, liberalitate, humanitate in  
 Germaniæ cives Patris Patriæ nomen promeruisse; Ottonem  
 I. ob fortia sua atque magnifica facta Magni Cognomentum  
 obtinuisse; Ottonem II. ob illata Saracenis bella celebrari;  
 Ottonem III. ob insignem prudentiam, quam ad Imperii Ger-  
 manici salutem promovendam attulit, Mirabilia Mundi vo-  
 catum, ex Historiarum monumentis percipiamus: His o-  
 mninò Illustrissimis Majoribus acceptum ferendum est, quod  
 Fridericos fortes, Fridericos Placidos, Frideric: Sapientes, Erne-  
 stos & Henricos Pios, Albertos & Mauritos animosos, Jo-  
 hannes & Johannes Fridericos Constantes, Augustos verè Au-  
 gustos, Christianos verè Christianos, Johannes Georgios tan-  
 tis Majoribus Pares aut Superiores terræ nostræ Saxonicæ ha-  
 buerint Dominos, quid? Patres indulgentissimos. Hos, in-  
 quam, virtutum ignes ex Wittekindeo sanguine ortos, dico, af-  
 fero: etsi refragetur nonnullorum vel invidia, vel, ut  
 mollius dicam, curiositas nimia. Contemplantur Illi me-  
 cum magnifica illa monumenta, in quibus Invictissimi Ot-  
 tonis III. ossa atque cineres conquiescunt, inspiciant superba  
 Augustæ Vindelicorum in templo Atrano marmora, quibus  
 non adulantis subditi manus, sed sapientissimi Principis Frid:  
 III. pietas inscripsit: *Imperatori Cesari Ottoni Augusto III. ex  
 gente M. Wittekind. Saxonie Regis, Cesaris Ottonis Augusti II.  
 filio, Cesaris Ottonis Augusti M. nepoti, Regis, Henrici Augusti  
 Aucupis pronepoti, Ottonis Ducis Saxonie & Romani Imperii Gu-  
 bernatoris Abnepoti, Luitolphi Saxonie Ducis Atnepoti Bruno-  
 nisque Saxonie Ducis & Wittekindi fratris Trinepoti, Progenito-  
 ribus Dulcissimis.*

Magna, Auditores Spectatissimi, ista Domus Saxonicæ fe-  
 lici-



licitas fuit, numerare inter Majores suos, quorum laudes in omnium animis atque memoria versantur. Major tamen Ei contigit, cum ad Illustrissimarum dignitatum fastigium per sanctissimum virtutis templum ascenderet. Fortuitum enim est ex magnis nasci Parentibus: Amplissimis autem honoribus dignum censei, illud excellentis Indolis, immensorum meritorum est primum. Ambitiosi quidem animi indicium est, immodicos, nec oblatos, honores captare; Abiecti contra, omnes, modicos quoque, prorsus averfari; Generosi demum eos, quibus te exaequavit virtus tua, honeste expetere. Notant Historiarum Conditores Cajum Caesarem, de Pontificatu maximo cum Catulo, Principe in civitate viro, contententem. Exprobrant Claudio, quod latebras potius, quam Imperium quaesiverit. Extollunt vero in Coelum usque Augustum, quod ultro delatum imperium modestissime recusaverit; tandem tamen ubi modestiam preces populi, amor in patriam superassent, fessam atque concussam civilibus armis Rempublicam, inque sinum suum confugientem, suavissime receperit, amplam nihilominus moderationis laudem ex receptis summis honoribus reportans. Contenta fuerat olim Domus nostra Saxonica dignitate Comitum, Marchionum & Landgravorum, donec Ducalis, quam non turpi ambitu fuerat sectata, a Sigismundo Imperatore sponte deferretur; donec ab eodem benignissimo Imperatore dignitas dignitate auferretur, cum Fridericum Bellicosum, cui modo Ducis titulum contulerat, in Electorum quoque reciperet Collegium, dignumque censeret, a quo successor olim dignus Imperiali Culmine eligeretur. Quanta sit ista dignitas, facile intelligitis, Auditores. Exaequat Domum Nostram Serenissimam summus hic honor summis Christiani Orbis Principibus aut certe proximo ab Illis collocat loco.

Cogitate, quaeso, quanti res sit momenti, nominare Principem, qui late diffusas Germaniae oras paternam cura, universum Orbem Christianum autoritate possit gubernare. Cogitate, quam arduum sit, Talis Principis vices in se suscipere, atque, dum orbata Res publica Romano-Germanica est

ca-

capite, providere, ut jura omnibus sine affectu, sine odio, sine munere reddantur; providere ex antiqua Reipublicæ Romanæ formula, ne Respublica patria detrimenti quid capiat. Neque hic substitit fortuna, quæ in cumulandis Domus Saxonicæ honoribus nunquam est defatigata, sed ad summum fastigium renitentem quoque tollere laboravit; dum unanimis Eligentium consensus Imperatoriam dignitatem, quam Potentissimi Europæ Reges tunc enixissimè petebant, Frid: Nostro Sapienti decerneret. Et sustulisset, nisi Friderici obstitisset moderatio.

Verum vana ambitioforum somnia magnifici atque superbi tituli recte censeripossunt, qui sine amplis possessionibus circumferuntur. Serenissimæ autem Nostræ Domui nec hæc fortuna denegavit. Exiguus ab initio Comitatus Wettinensis tantorum Heroum, qui totum terrarum Orbem victoriis atque laudibus peragraverant, Lectissimos Nepotes alebat; Exiguus, inquam, si Alexander aliquis inter eos fuisset repertus, cujus cupiditati unus Orbis non sufficiebat; At ingens terrarum portio iis visa, qui sua sorte contenti, non ad aliena diripienda rapaces manus efferendas censebant. Præcipua quippe Domus nostræ Saxonicæ cura fuit, non de ampliando territorio, sed de amplianda gloria sua, cum Imperatoribus legitime electis, atque dignitatem Imperii strenue tuentibus adversus infensissimas Paparum molitiones, adversus injustissima subditorum arma fidam ac constantem semper opem attulit. Inde nec digna tantorum meritorum præmia defuere. Obtruncato Ecberto Misnia Domino carebat. Expectabat atque flagitabat alium ab Heinrico IV. Imperatore. Dignissimo inter competitores quam plurimos collatam cupiebat Henricus. Non inveniebat digniorem, non sibi magis fidum quam Thimonem. Huic terrarum istarum Regimen, huic Misniæ incolarum curam adjudicavit, quam deinde Lotharius Conrado III. Thimonis filio attribuit. Nova hæc infecuta sunt potentiae incrementa, postquam cum Friderico Conradimus (O grande Pontificum nefas!) in Neapolitano pegmate exspiraret. Deferebatur suc-  
ces-

cessio in potentissimam Austriae provinciam Heinrici Mal-  
lei & Munifici filiis; At prudentius Hi, imo honestius judi-  
cabant, pro Thuringiae Landgraviatu, quem Pater accepe-  
rat, conservando pugnare, quam aliena intempestive se-  
ctando suorum facere jacturam. Crevit ulterius Domus  
Saxonicae potentia, cum superiori seculo ditissimus Co-  
mitatus Hennebergicus, extincta omni prole ex pacto terris  
nostris accederet; Crevit nostro tempore, cum utraque Lu-  
sacia adjiceretur. Et quonam referri merebuntur jura illa in  
Ducatus Juliacensem, Clivensem, atque Bergensem, in Comi-  
tatum Marcae & Ravensburgi, in Dynastiam Ravensteinii, quae  
a Friderico III. partim concessa confirmataque per Maximi-  
lianum I. partim stabilita nuptiarum vinculo accepit? Quo-  
nam amplissima illa spes, quam a Ferdinando III. in Hano-  
viensem Comitatum, post interitum familiae Comitum (qui-  
bus tamen longeva vitae tempora apprecantur Duces No-  
stri Pientissimi,) Johannes Georgius I. obtinuit? Hisce in-  
crementis laetissimis Domus Saxonica Serenissima, ad illud  
Potentiae fastigium ascendit, ex quo superiores sine metu ve-  
nerari, aequales amicitiamque suam ambientes in foedus tu-  
to admittere, inferiores opem flagitantes benigne juvare sem-  
per potuit.

Raro autem magna Potentia fuit diuturna: Habent  
quippe suas vices Imperia, Regna, Principatus; crescunt mo-  
do ac in immensum dilatantur, nunc decrescunt atque arctis-  
simis rursus terminis circumscribuntur. Non aliter atque  
aestus vasti Oceani, qui ebullientibus undique fluctibus nunc  
limites a Natura sibi positos videtur velle transilire, nunc eos-  
dem prorsus relinquere: Non aliter atque alter ille Mundi  
oculus, Luna, modo plena facie subjecta sibi intueri, modo in  
cornua lumen suum contrahere, modo prorsus terris sub-  
ducere solet. In extollenda tamen Domo nostra Saxoni-  
ca ipsa Fortuna naturae suae videtur esse oblita, atque cum in-  
constantem fragilemque se semper apud alios exhibuerit,  
apud Illam eandem semper faciem, id est, blandam atque ri-  
dentem retinuit. Non recurrendum nobis est ad anti-

C

qua

quæ tempora, ibidemque observandum, quàm innumeros infidiis suis circumvenerit Illa, dum objecta ingenti umbra ad negligendam atque rejiciendam cum cane Aesopico carnem eos compulit. A Patribus nostris accepimus, quanto pere fortuna Principi summæ aliàs dignitatis & felicitatis, Friderico Palatino illuserit. Offerebat huic sceptrum, sed vix obtulerat, cum rursus non sceptrum modo, sed & Pomum Imperiale eidem extorqueret. Dederat Regnum, ut cum regno Patrias ditiones eriperet; Evexerat in thronum, ut eo in clementius persequeretur deturbatum, Exulem, Extorrem. Nostris vero Ducibus Saxonis fida semper firmaque fuit dignitatum constantia, continua ditionum possessio, ut non dies, nec annos, sed secula ea felicitate tacti transegerint, transacturi sint. Tradidit enim Fridericus Bellicosus gladios, quos à Sigismundo acceperat, Friderico II. Placido, Fridericus Ernesto, Ernestus Friderico III. Fridericus Johanni Constanti, Johannes Constans Johanni Friderico I. Et quamvis in Johannem Fridericum hunc acerbi aliquid decreverit Fortuna, Eam tamen statim illius videtur poenituisse, dum, quod Johanni Friderico abstulerat, Mauritio arctissimo & sanguinis & fidei vinculo Illi conjunctissimo rursus attribuit.

Inde Mauritius in Augustum, Augustus in Christianum I. Christianus I. in Christianum II. Christianus II. in Johannem Georgium I. Johannes Georgius I. in Johannem Georgium Secundum, Serenissimum atque Potentissimum Electorem hodiernum, supremam hanc in Imperio dignitatem serie nunquam interrupta felicissime transplantavit. Quæ autem Dignitatum; eadem & Terrarum apud Heroes nostros semper continuata mansit possessio: Ita quidem ut novercanti Fortunæ omnis vis atque potestas videatur adempta in Regiones Saxonicas; Quippe, quas earum Domini, non jus suum in armis circumferentes, aliis haud ereptas sibi asseruerunt, sed largitionibus Imperatorum fidem suam etiam in adversis constantissimam remunerantium,

tium, sanctissimo matrimoniorum vinculo, amantissimo  
confraternitatis, uti hodie solet vocari, pacto acquisiverunt:  
Nunquam armis usi, nisi, ubi contra iniquos jurium suorum  
invafores ipsius Naturæ leges eadem permitterent, præci-  
perent. In animis omnium, oculis, ore sedet ditissima il-  
la per utramque Lusatiam Regionibus nostris facta, modo à  
nobis tacta, accessio, quam Divi Johannis Georgii I. fidei, For-  
titudini, Prudentiæ semper adscribet posteritas. Magnis an-  
gustis Archiduces Austriæ premebantur, cum Bohemia, Hun-  
garia, Silesia cæteraque terræ alium Regem, Dominum alium  
quererent. Magna, nec vana spes Ferdinandi II. in Johan-  
ne Georgio, I. quem Patris Loco venerabatur; nec opem de-  
negabat Johannes Georgius Ferdinando, quem non minus  
instar filii amabat tenerrime, quam elevatum in thronum  
Imperatorium debitè colebat; quin potius & milite & aere  
succurrebat, quibus adjutus Ferdinandus brevi recuperabat,  
quod, nisi recuperasset, haud incertum Potentiæ Austriacæ  
damnum, haud exiguum detrimentum erat illaturum. Hinc  
ut & filii & debitoris gratissimi testimonium publicè redderet  
Ferdinandus, Patri suo benignissimo Lusatiam utramque pi-  
gnoris Loco concessit. At cum postea mitissimus Impera-  
tor, seductus ab avaro Clero, ad inferenda arma huic Patri  
suo, cui ob ingentia benefacta perpetuò obstrictus debebat,  
volebat vivere, compelleretur; Johannes Georgius verò  
crebris victoriis ostenderet Ferdinando, quod præstet ami-  
cum habere Saxonem, quam hostem; Ferdinandus quoque  
placatum rursus habere cuperet Patrem, Lusatia in perpetu-  
um Ducum Saxoniae Regimini submissa.

Ingentia fuere ista fortunæ munera, quæ enumeravi,  
majora restant enumeranda; Coelestia illa sunt, quæque post  
caducas hujus mundi opes, possessores æternum reddere va-  
lent felicissimos. Contigit primum Ducum nostrorum Se-  
renissimorum terris, quod plurimæ sub intolerabili Paparum  
jugo gementes votis omnibus exoptaverant, cum Lutherus  
divino animatus afflatu crassissimorum, in quibus hætenus  
sub-

sub diti æqvè ac Principes fuerant versati, errorum nebulas purissimo veritatis lumine restituto discuteret. Sublatæ tunc tenebræ, pulsa, quæ Germaniam hæctenus incoluerat, barbaries, exacta, quæ mentes mortalium fascinaverat, superstitio; rediit contrà omnibus lumen Evangelij, literarum amor seculo, conscientis libertas & vera pietas. Atque omnia ista non Saxoniam modò, non Germaniam modò, sed aliis quoque regnis, principatibus, Rebus publicis sub Serenissimorum horum Ducum ( at quanta ista est felicitas! ) patrociniò benignissimum Numen concessit. Hæc est illa felicitas, quæ fortissimum Johannem Fridericum inter tristissimas quasque ærumnas efficacissimè poterat consolari. Hæc Eum in prælia, hæc in captivitatem secuta; Hæc vincula patienter ferre, magno animo mortem jussit contemnere. Videbatur quidem profligato atque in potestatem Caroli redactò fortissimo isto Heroë rursus extincta fermè Divini verbi facula. Verùm placuit sapientissimo Numini tantis difficultatibus & sanctissima repurgati evangelij initia & Serenissimam Domum nostram Saxoniam involvere, ut omnibus eò melius innotesceret, quam commendatam habeat sibi, etiam inter adversa, ejusdem felicitatem: dum Mauritius & consanguineum sibi Principem captivum, & cœlestem doctrinam in eam libertatem vindicavit, in qua per piissimorum Successorum curam in hodiernum usque diem durare potuit illibata.

Quid vero dicam, Auditores Honoratissimi, de gratissima illa quiete, qua inter medias tempestates hodiè securi fruimur? Quiescimus enim in intimo sinu pacis, qua mortalium generi ab immortalis DEO nihil majus, neque melius, nihil præstantius neque optatius dari in hac quidem vita potest: quamque abundantissime commendant nobis incommoda belli, vicinis nostris hæctenus illata. Luget Alsatia, terrarum Germaniæ feracissima, funditus deletas urbes, vineas eradictas, exustos agros; Palatinatus, Germaniæ Paradisus, infortunii sui memor ingemiscit. Pomerania, addictissima Deo Regique hæctenus Regio, latè adhu csparsos cineres atque ruinas

nas urbium moestissima intuetur atque colligit: Nostra vero Patria, quæ quidem concivium suorum calamitatibus semper indoluit, nihil horum malorum experta, triumphat, atque Patribus suis, id est, Principibus prudentissimis, potentissimis, felicissimis tranquillitatem gratissimam fert acceptam. Quidni enim prudentiæ Principum nostrorum adscriberemus, quod inter pugnantium quasi acies mediæ & illæsi steterimus? Quidni eorum potentia, quod illud licuerit, nec, quæ pessima alias eorum, qui neutrarum partium esse malunt, est conditio, belligerantium præda extiterimus? Quidni felicitati eorum, quod potentia ista à fortiori affectum, ab æquali cultum, à debiliore metu haecenus extorserit? Conservatam non modò Serenissimorum Ducum nostrorum cura Patriam, sed & amplius ornata, omnibusque bonis, quæ Rempublicam aliquam reddere valent beatissimam, adauctam cernimus. Retinere urbes nostræ non pristinum saltem nitorem, sed novum insuper longèque splendidiorum acceperunt. Præstitimus &, quæ singularis benignissimi Numinis est gratia, Principumque nostrorum felicitas, adhuc præstamus sine omni remora debitum DEO cultum, obsequium Principi intemeratum, Civibus, qui nobiscum eosdem Dominos venerantur, mutuam amorem. Non fumantia tecta, nec incensas ab hoste ædes conspeximus; sed omnino ardere pectorum nostrorum altaria piissimarum precum sacrificiis vidimus; vidimus ad Cælum surgentia suspiria, quibus tranquillissimum hunc statum, in quo vivimus, perpetuum, perpetua quoque Serenissimæ domus nostræ tempora, perpetuam felicitatem, cui nostra salus, ceu fundamento innititur, exoptavimus, exoptamus.

Et videtur Numen supremum votis nostris atque desideriis annuisse, cum Serenissimam Domum Saxoniam ea fecunditate donavit, quam in nulla alia licet deprehendere. Est enim omnino certissima spes continuandæ semper potentia numerosa proles, nec timendus est subditis successor & nomine & affectu alius, ubi suppetunt filii. Olim inter vota erat, quæ leges munerabant, felicitas, tres liberos sortiri; Vota nostra

D

supe.

superavit Benignissimum Numen, & munerata jam est Principum Serenissimorum felicitatē, dum certissima eos spes manet, idem obsequium, quod sibi, successoribus olim suis præstitum iri à subditis; Muneravit & nostram; qui speramus, successores paternis vestigiis inhæsurus, paternas virtutes, quibus jam doctrina atque exemplo assuescunt, id est, amorem in subditos tenerrimum, constantissime æmulaturos.

Promittunt porro continuandam in secula multa tranquillitatem fœdera à Principibus non prudenter minus, quam piè inita; Non ad supprimendos subditos, sed ad eorum salutem eo certius promovendam; Non ad turbandam, sed ad conservandam publicam quietem; Non ad bellum aliis inferendum sed ad pacem ubique restabiliendam. Nec aliò spectare possunt sanctissima matrimoniorum vincula, affinitatumque nexus, quibus Domus nostra Saxonica Regibus Daniæ, Landgraviis Hassiæ, Principibusque aliis jungitur, Novi eque eorum sententiam, quibus idolum illud in plurimorum Principum aulis suspensum hodie, Ratio status persvasit: Affinitatum nomina solum privata esse nec ullum ad publica negotia afferre posse momentum. Alia tamen piissimorum nostrorum Principum mens est, utpote quibus cum ipso sanguine Majorū sanctissima justitiæ custodia videtur tradita; cumque exemplo Theodosii existiment dignam vocem esse Majestate regnantis, legibus se alligatum Principem profiteri, & revera majus esse imperio, submittere legibus etiam à se latis principatum; quanto magis convenire sibi censebunt, iis vivere legibus, quas unicus ille Principum Judex atque vindex DEUS pectoribus suis incrispsit atque impressit.

O igitur nos felices, quibus sub Felicissimis Principibus vivere à Divino Numine datum est! O nos feliciores, quibus tales Principes contigerunt, qui gloriam & salutem suam non ex utilitate imperantis, sed ex commodis parentium metiuntur! Inde nos Felicissimos, quod Serenissimi Duces Nostri, non felicia incrementa sibi reservant, sed subditos



ditos quoque suos eorum reddunt participes! Hæc sunt, quæ ad gratias non supremo saltem Numini, quod Patres istos benignissimos terris nostris concesserit; sed & ipsis nostris Sereniss: Ducibus exhibendas, atque ad piissima semper vota nuncupanda nos excitant, compellunt. Sit igitur sancta semper Iisdem venerandorum Majorum memoria, nec nos meliores Principes votis nostris poterimus formare; Ascendant in illud dignitatum atque potentia fastigium, ad quod nec invidia, nec æmulatio ulla potest pertingere, & ea semper, quæ nunc i. e. summa fruemur tranquillitate; Foveant eadem cura, eodem Patrocinio veram DEI Ecclesiam, atque propitium semper Numen & sibi & nobis conciliabunt; Denique id in summa gloria, in summa felicitate sua reponant, felicitatem suam cum subditis & posse, & velle se participare, & nos erimus felicissimi.

F I N I S.



FK 9/226

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

F I N I S



nc

Faint, illegible text on the left edge of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

ULB Halle 3  
004 788 699



V077





tum perorata ac ab ipsa nostra Charissimâ Patria gratulabunda nobis subministrata : Admiranda scilicet Serenissimæ Domus Saxonicæ Felicitas. Nec fallor, si & pro novâ eandem venditem, cum nova quotidiè felicitatis incrementa Principes nostri Clementissimi experiantur, subditi lætabundi adspiciant. Quid igitur explicari à me posset Supremo Numini acceptius, quàm si felicia Diis terrenis à se tributa grato animo à Subditis quoque dignius, quàm si fau-  
 matione à subditis res, lætius, quàm intra ma Domus nostra. niqve pietati meæ cognantissima, quæ m Vestra, Auditores Sinit dubitare. Mea facundia placere haevitem.

Magna me, Auctas circumstare videtogotii in me suscepnicæ felicitatem depnia, laudatores eloqvivit. Indulsi, fateor, niumi subditus debetiri. Porro, cum autam vobis, Audit: exhi rursus suboritur la Ducum Saxonico nimis vestris subjiacum, nunc celsissim dignitates, amplissimætaque per successor est beatissimum, repetitiones solum Serenimo in Principalia pe



us nostris di-  
 faustâ accla-  
 obis, Audito-  
 ies Serenissi-  
 ur? Quid de-  
 st causa præ-  
 eutiqvam de  
 evolentia fi-  
 dere, ut cum  
 dium omne  
 gna difficul-  
 tim, quid ne-  
 omus Saxo-  
 etiam inge-  
 tum fatiga-  
 næ huic Do-  
 usum me-  
 deam, ne da-  
 ar, nova mi-  
 antissima il-  
 undo loco a-  
 ti enim me-  
 illustriissimæ  
 continuata au-  
 erris nostris  
 ina non in  
 ularas quoq;  
 am; sed sta-  
 bili-

